

EPISTULA LEONINA

LVII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 QUINQUAGESIMAM SEPTIMAM (57) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam septimam.

Iterum de libro referimus. Cum nuper Crabatum tractaverimus, nunc tractamus Vitam Pii. Utraque fabula scripta est lectoribus iuvenilibus, utraque fabula est plena periculorum, ut animus legentis suspendatur; tamen utrique fabulae insunt etiam non pauca incitamenta ad quaestiones graviore considerandas. Agitur enim de morte et de religionibus; de singulis universis critici quomodo iudicaverint, invenies paginis sequentibus.

Praeterea huic Epistulae Leoninae insunt vocabula ad auturgiam, i.e. ad opera fabrilia, spectantia. Cum velimus Latinitatem nostram esse vivam, non emortuam, oportet ad novas res denominandas fingamus nova verba, secundum praeceptum ipsius Ciceronis, qui dicit novis rebus imponenda esse nova verba.

Tu autem, Lectrix benevola, Lector benevole, utinam quam plurimê helluaris lectione huius Epistulae Leoninae quinquagesimae septimae.

**Pancraticê vale et perge mihi favere!
Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, d.22. m.Sept. a.2013,
i.e. die suffragiorum Conventûs Foederalis Germaniae
Oportet nos Germani butyrum et mel comedamus, ut sciamus reprobare
malum et eligere bonum.



EGO COGITO ERGO SUM.

RENATUS CARTESIUS
i.e. *René Descartes*
(1596-1650)

VITA PII

PUERI CUM TIGRIDE NAUFRAGI



Ecce Pius puer cum *Richardo Parkero* tigride in alto mari versans

„**Vita Pii**“ (originaliter: „*Life of Pi*“) inscribitur fabula romanica a.2001 edita ab *Yann Martel* auctore Canadiano conscripta. Propter hanc fabulam conscriptam îdem auctor a.2002 accepit praemium litteraturae Britannicum, quod appellatur *Booker Prize*. Haec fabula a.2012 ab *Ang Lee* dissignatore scaenarum Formosano ad cinema redactum est.

Argumentum. *Piscinus Molitor Patel*, cui est supernomen *Pi*¹, in Indiae urbe *Pondicherry* habitans filius est directoris horti zoologici. Qui iam est fidelis hinduista, sed postquam religionem christianam cognovit, etiam ad eandem convertitur. Postea praeter illas tertiam religionem sibi propriam facit islamicam. Cum pater eius decreverit, ut in Canadam emigraret, familia unâ cum bestiis nonnullis horti zoologici inscendit quandam navem onerariam iaponicam. In alto mari navis vehementi procellâ correpta graviter affligitur et aquis submergitur. Nemo servatur navicula inscensa nisi Pius adulescens et zebra et simius pongo² et hyaena crocuta³ et tigris bengalicus. Nunc bestiae de vita sua incipiunt pugnare pugnam horribilem. Primo hyaena zebrae crus fractum dentibus

¹ Nomen pueri originale est *Piscine Molitor* et ducitur a nomine cuiusdam natabuli (fr. piscine, i.e. piscina, natabulum) Parisiensis, quod avunculus pueri artis natandi peritissimus maxime aestimat. In schola puer condiscipulis, a quibus primum irridetur propter nomen Francogallicum, explicat idem nomen spectare ad numerum π (pi), quo significatur proportio ambitus circuli et diametri.

² Pongo pygmaeus est i.q. *orang-outan*.

³ Crocuta crocuta, i.e. angl. *spotted hyena*; theod. *Tüpfelhyäne*.

abreptum devorat. Postea paulatim et gradatim hyaena degluttit partes zebrae reliquas. Proximum ordo vocat simium pongonem. Tigris autem sub naviculae tegumentum abditus nauseans manserat immotus, sed aliquatenus recreatus cum sit, hyaenam devorat.

Pius adolescens vitam suam servat rate remis et thoracibus natatoriis⁴ constructâ et naviculae appensâ. Longo fune a naviculâ separatus et contra *Richardum Parkerum* protectus puer nunc incipit bestiam rapacem eo cicurare, quod piscibus cibatur, quos e rate suâ securâ hamatos in naviculam transicit. Praeterea cum sciat tigridem in nauseam propensum esse, quandocumque haec bestia minatur impetum factura, motionibus rhythmicis naviculam tam vehementer huc illuc semovet, ut tigris vehementer vexetur nauseâ.

Menses praetereunt. Puer et tigris fiunt sodales, unus ex altero pendentibus, sed etiam macriores et infirmiores. Pius oculis exarescentibus aliquamdiu caecus est. Tum alterâ in naviculâ apparet Francogallus naufragus, qui confitetur se aliquando virum mulieremque interfecisse. Idem cum in Pii navem transcenderit Piumque infirmum insidiosê aggreditur, statim a tigride sub tegumento insidiante correptus devoratur.

Tandem Pius Richardusque Parker ad insulam adiguntur, quae constat ex algis. Haec insula bestiolis suricatis⁵ abundans tam homini quam tigridi videtur esse quodammodo *Cucania*⁶ mirabilis. Nam tigris famelicus illis bestiolis saturatur, Pius algis dulcibus helluatur, quae continent multum aquae dulcis. At subito somnium paradisi interrumpitur, cum Pius animadvertat algas nocte fieri plantas carnivoras. Itaque puer statim navicula proficiscitur tigride imposito.

Ambo per 277 (ducentos septuaginta septem) in mari versati ad litus Mexicanum adacti sunt. Deinde Richardus Parker in sangalam⁷ propinquam evadit numquam reversurus, Pius affertur in nosocomium. Ibi eum visitant duo functionarii ministerii comitatûs lapponici, ut certiores fiant, quomodo navis oneraria submersa sit. At iidem non credunt veram esse fabulam bestiarum a Pio puero narratam: his neque tigris neque ille Francogallus naufragus neque insula algarum carnivora dignae creditu esse videntur. »Si vos« Pius inquit »nihil verum esse vultis, nisi id quod credere potestis, ad quem finem vos vivitis?« Ab iis admonitus, ne fabulas narraret, sed ea, quae verê facta essent, Pius

⁴ thorax natatorius, i.e. angl. life jacket; theod. Schwimmweste [P.C. Eichenseer ap. He.91, p.495, s.v. Schwimmweste].

⁵ Suricata suricatta, i.e. angl. meerkat, suricate; theod. Erdmännchen.

⁶ +Cucania, -ae f., i.e. angl. Cockaigne, lubberland; theod. Schlaraffenland.

⁷ *sangala, -ae f., i.e. angl. jungle; theod. Dschungel. [He.91, p.166, s.v. Dschungel]

respondet denique omnia, quae ab hominibus referrentur, fieri fabulam. Tamen rogatus narrat alteram odysseam, nunc bestiarum expertem: In naviculâ servatoriâ nunc praeter Pium sunt coquus Francogallus, nauta, cuius in naviculam incidentis crus est fractum, et Pii mater. Coquus crus nautae amputat, ut adhibet ad pisces alliciendos. Lentê nauta moritur, eiusque caro a coquo comeditur. Coquus cum etiam matrem Pii interfecerit, impetum in Pium faciens tandem ipse interficitur. Pius autem nunc solitarius se convertit ad Deum.

Fabula exeunte Pius ambos auditores sui sinit decernere, utra harum fabularum sit vera et melior. Cum Iapones concesserint se non cognoscere, quid sit verum, sed sibi videri meliorem fabulam illam, cui insint bestiae, Pius puer iis respondet: »Nec aliter sentiendum est de Deo«.

Quomodo haec fabula sit explicanda. Haec fabula eo maximê valet, quod intelligi potest variis rationibus: Cum persona praecipua subeat multa pericula, animus legentis expectatione suspenditur. Lector animo attento sequitur pericula pueri, quae enarrantur sermone levi, qui est facilis intellectu. Alterâ ratione licet hanc fabulam considerare doctam. Auctor, cum zoologiae studuerit pernoscendae et, ut fuit filius viri legati, iam puer multas terras cognoverit, lectori pandit magnam suam scientiam zoologicam geographicamque. Tertiâ autem ratione, qua propinquum est fabulam intellegere, est symbolica: licet eandem intellegere parabolam philosophico-religiosam. Praecipuê colloquio deliberativo, quod Pius (*N.B. auctorem nomine eius alludere ad numerum π , qui spectat ad circulum*) in fine habet cum Iaponibus, quadamtenus in mentem revocat parabolam Lessingii trium anulorum (*Ringparabel*). Denique sunt qui opinentur auctorem hanc fabulam narrantem ratione creativâ conatum esse pertractando sanare trauma psychicum. Ergo difficile est hanc fabulam intellegere unâ solâ ratione certâ. Eo modo auctor quaestionem philosophicam a se ipso positam constanter ad finem perducit solvendam: Lectori explicat verum esse id quod is sentiat librum legens.

Critici quid de eâ fabulâ dixerint. Critici de fabulâ Pii iudicantes alii aliter sentiunt. Cum hic liber a publicatoribus iam antequam editus est eximiê laudatus erat, nonnulli censores spe decepti sunt. Itaque ii, qui nihil desideraverant nisi fabulam periculorum plenam, opinantur auctorem in fine libri alterâ narratione argumentum infirmare et obscurare necnon vim, quam libro inesse crediderint, deminuere. Quidam theoretici auctori crimini dant nimiam simplicitatem, quia propria argumenta philosophica lectori non praebeantur probanda considerandaque, ut de iisdem deliberet, sed iam a priori certa atque

immutabilia describantur. Itaque libro nihil inesse, quin a Lessingio iam pridem et melius dictum sit. Li autem critici, qui opus censeant Lessingium praetereuntes, rationem auctoris religionem tractandi dicunt esse inanem „postmodernam religiositatem remixtam“ - quod iudicium non convenit cum notione postmodernismi. Auctoris autem descriptiones, quae redolent eius scientiam theologiae, zoologiae, nauticae multiplicem – a nonnullis censoribus non laudantur nisi dicuntur esse „descriptiones naturae bestiarumque mirabiles“. Denique critici „Vitam Pii“ vituperant, quod sit opus nimis triviale.

Quod opus litteraturae vim habuerit ad argumentum „Vitae Pii“. In *Edgarii Allani Poe* fabulâ romanicâ, c.t. *The Narrative of Arthur Gordon Pym of Nantucket*, etiam agitur de naufragio facto. Canis narratoris appellatur „*Tigris*“; quidam ex quattuor viris, qui naufragium vitâ superaverunt, postea a tribus ceteris comeditur. Eius autem nomen est „*Richard Parker*“.

Cinema secundum argumentum Vitae Pii confectum. A. 2012 secundum hanc fabulam romanicam ab *Ang Lee* dissignatore scaenarum confectum est cinema.



Richardus Parker tigris cum Pio puero naufragus

Vita Pii

Textus e fabulâ ab *Yann Martel* scriptâ excerptus
et a *Nicolao Groß* Latine redditus



Yann Martel (*1963)

A nemine animus meus tranquillus factus est nisi a *Richardo Parkero*. Eo fabula mea maximê mira est, quod îdem ipse, quem in initio tam vehementer timueram, ut paene inciderem in insaniam, in fine animum meum reddidit tranquillum mihi que posuit metam vivendi – paene dixerim illum mihi dedisse harmoniam.

Richardus me aspexit investigans. Aliquanto post cognovi, quid valerent oculi eius sic in me coniecti. Hunc oculorum obtutum noveram a primis pueris. Qui erat obtutus bestiae contentae, quae e caveâ aut foveâ suâ mundum aspectat ita ut aliquis nostrum e cauponae mensâ foras prospicit, si bonâ cenâ sumptâ tempus venit, quo incipit garrere aut aspectat res, quae in viâ aguntur. Manifestum erat Richardum Parkerum bonam portionem hyaenae absumpsisse et tantum aquae pluvialis potavisse, quantum vellet. Nunc non ringebatur, neque fremebat neque feliebat. Nihil faciebat nisi me aspectabat, observabat, graviter, sed non minaciter. Aures vertit, caput obliquabat, mox huc, mox illuc. Omnia haec faciebat, ehem, more cattaе. Aspectu erat cattaе magnae, carae, bene nutritae, sed cattus fuit pondere 450 (quadringentorum quinquaginta) librarum.

Sonum edidit, fremitum edidit per nares. Aures arrexî. Ille iterum fremuit. Stupefactus sum. Num anhelavit?

Tigrîdes êdere possunt nonnullos sonos. Sunt varia genera mussitandi atque feliendi, quorum maximus est *aaonh*, quod êditur pleno ex guttore. Hic est clamor, qui auditur maximâ e distantîâ, et si quis eum audit e loco

propinquo, audientis sanguis formidine derigescit. Tigrides, si quem vident inopinantes, sonum *wuff* êdunt, clarê, breviter tamquam displosione iram indicantes, sonum haud minus vehementem, quam ut statim aufugeres, nisi pedes terrore torperent. Tigris autem impetum faciens brevibus ictibus gutturalibus raccat⁸, quasi tussiat. Item sonus gutturalis, sed aliâ toni altitudine, est mussitatio minax. Praeterea tigrides strident et rictant⁹, ut – pro animi commotione, quam exprimant, sonent tamquam folia autumnalia peragitata, sed paulo fortius, aut, si sunt irâ incensi, sonent portam ingentem, quae lentê vertitur cardinibus ferrugineis – et utroque sono fit, ut horrore perfundaris. Nec hi sunt omnes iam soni tigris. Hae bestiae possunt fremere et gemere. Necnon fremunt, etsi non tam melodicê tamque saepe quam felidae minores, neque fremunt nisi respirant. (Minores tantum felidae fremunt et inspirantes et respirantes. Haec est una ex illis qualitatibus, quibus unus grex felidarum differat ab altero. Altera qualitas distinctiva est rugitus: Maiores tantum felidae rugiunt. De qua re licet gaudeas. Nam felis domestica certê hominibus esset multo minus grata, si quod incommodum indicaret rugiendo). Immo gnaulare¹⁰ possunt tigrides, similiter ac feles domesticae intonantes, sed maius et profundius, quam ut aliquis putet tigridem velle brachio imponi. Denique scilicet tigrides posse etiam tacere cum gravitate imperatoriâ.

Omnes hos sonos tigris audiveram, cum essem puer. Excepto illo anhelitu. Talem fieri posse non scivi nisi quia pater mihi de eo narraverat, et is hoc non scivit nisi ex libris specialibus. Semel tantum pater ipse hunc sonum tigris audiverat, cum officii causâ hortum zoologicum viseret Mysoreensem, ex iuveni tigris, qui pulmonis inflammatione affectus iacebat in statione veterinariâ. Hic anhelitus omnium sonorum tigris est minimus, fremitus submissus, quo tigris indicant se esse pacificos et bono consilio.

Iterum audivi Richardum Parkerum anhelantem, et nunc anhelans caput volvit. Visus est me aliquid rogare.

Ego illum aspectavi, admiratus sum, quantumcumque ab illo territus. Cum non immineret periculum proximum, paulatim respirabam moderatius, cor paulo minus vehementer palpitabat et paulatim et gradatim resipui.

Ille mihi cicurandus erat. Hôc momento temporis intellexi aliam non esse possibilitatem. Non rettulit, utrum ille an ego vitâ esset superaturus, sed

⁸ raccō, -āre vox onomatopoeica, qua redditur sonus quidam tigris.

⁹ rictō, -āre vox onomatopoeica, qua redditur sonus quidam leopardorum.

¹⁰ *gnaulō, -āre Italica vox onomatopoeica, qua redditur sonus felium sive cattarum. cfr Perugini.


necesse erat, ut nos ambo essemus superaturi. Nos sedebamus, hoc licet dicere non solum sensu translato, sed etiam verissimo, sedebamus in eadem naviculâ. Necesse erat, ut unâ viveremus – aut unâ moreremur. Mente fingi poterat illum moriturum esse incommodo aliquo aut causis naturalibus, sed ineptum erat sperare factum iri rem veri tam dissimilem. Potius exspectanda erat res pessima: tempore procedente illum, qua erat valetudine firmâ, facile superaturum esse vitam meam infirmam. Me nonnisi cicurando illum dolo decipientem fortasse id effecturum esse, ut ille moreretur ante me, si quidem alteri nostrum esset moriendum.

At his verbis nondum sunt omnia explicata. Nolo rem reticere. Volo mysterium pandere: Aliquâ ex parte gaudebam Richardum Parkerum adesse. Aliquâ ex parte nolebam Richardum Parkerum mortem obire, nam illo mortuo ego remansissem solus, solus et desperatus, et desperatio erat adversaria ipso tigride indomabilior. Si quidem mihi restiterat voluntas vivendi, restiterat Richardi Parkeri gratiâ. Ille enim curavit, ne nimium cogitarem de familiâ meâ, de infortunio horribili, quod mihi acciderat. Ideo illum oderam, sed simul illi gratus eram. Gratus illi sum. En simplex veritas: Nisi illo tempore mihi fuisset Richardus Parker, ego hodie non essem. Quod hodie possum fabulam meam narrare, gratias ago Richardo Parkero.

Circumspexi ad circulum finientem. Nonne hanc esse plateam ludorum circensium perfectam, quae esset formâ circulari, nonne nusquam esse angulum, cui tigris se posset imprimere? Despexi ad mare. Nonne ibi esse copiam cuppediarum inexhaustam, quibus illi remunerari possem, si paruisset? Ex uno e thoracibus natatoriis dependebat fistula. Nonne hanc esse bonam scuticam, qua illum domarem? Quidnam mihi deesse, quo Richardum Parkerum condocefacerem? Num tempus? Fieri posse, ut complures septimanae transirent, antequam navis adveniret. Tempus mihi superabundare. Num mihi deesse animum promptum? Ipsa necessitate animum meum fore promptum. Num peritiam? Nonne me esse filium directoris horti zoologici? Num mercedem? Num esse maiorem mercedem quam vitam? Maiorem poenam quam mortem? Aspexi Richardum Parkerum. Evaserat metus meus Panicus, timorem superaveram. Nos ambos esse superaturos.

En audite. Tuba canitur, tympanae pulsantur. Spectaculum incohatur. Surrexi. Richardus Parker me observavit. Aegrê id effeci, ut aequilibrium servarem. »Introgredimini, Dominae meae, Domini mei!«, rugivi, »Pueri puellaeque, quaerite locum, properate! Intrate! Cavete ne sêro veniatis! Considite, Dominae Dominique, et exspectate animis suspensis. Aperite

oculos, aperite animos, exspectate miracula, quae vobis monstrabimus.
....!«



**Textum e fabula a *Yann Martel* narrata, c.t. „Life of Pi“,
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

VOCABULA AUTURGICA (V)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum sextam, quae spectant ad res domesticas (VII. DOMESTICA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.AUTURGIA ET HORTICULTURA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas AUTURGIAE partem tertiam (III) Latinis vocabulis ditificatam.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	Latinē
Elektroden-kabel	electrode lead	câble d'alimentation de l'électrode	cable de corriente	cable di alimentazione dell'elettrodo	capulum ēlectrodī
Elektrode	electrode	électrode	electrodo	elettrodo	ēlectrodus, -ī f.
Massezange	earth clamp	prise de masse	pinza de conexión a tierra	morsetto di messa a terra	forceps connexiōnis terrestris
Massekabel	earth lead	câble de masse	cable de tierra	cavo di messa a terra	capulum terrestre
Schweiß-transformator	arc welder	poste de soudage	máquina de soldar eléctrica	saldatrice ad arco	*solidāculum arcuātum
Schutzkleidung	protective clothing	équipement de protection	ropa de protección	abbigliamento antinfortunistico	vestītus protēctōrius
Schutzbrille	goggles	lunettes	gafas protectoras	occhiali di protezione	perspicillum protēctōrium
Gesichtsschutz	helmet	casque	careta	maschera da saldatore	cassis *solidātōria
Handschild	hand shield	écran à main	careta de mano	schermo a impugnatura	cassis manuālis
fünffingriger Schweißershandschuh	gauntlet	gant à crispin	guantes	guanti di protezione	chīrothēca digitāta
Fausthandschuh	mitten	moufle	manoplas	manopole	chīrothēca pugillātōria
p.319					
Schweißbrenner mit Schneideinsatz	cutting torch	chalumeau coupeur	soplete de corte	cannello per tagliare	*solidāculum sectōrium
Brennerhebel	oxygen control handle	poignée-oxygène de coupe	control de oxígeno	leva di regolazione dell'ossigeno	vectivulus oxygenī rēgulandī
Schneiddüse	cutting nozzle	tête de coupe	boquilla de corte	ugello di taglio	*spargibulum sectōrium
Schweißbrenner	welding torch	chalumeau soudeur	soplete de soldadura autógena	cannello per saldare	*solidāculum, -ī n.
Sauerstoffventil	oxygen valve	robinet d'oxygène	válvula di oxígeno	valvola dell'ossigeno	valvula oxygenī
Acetylenventil	acetylene valve	robinet d'acetylene	válvula de acetileno	valvola de acetilene	valvula acetylēnī
Griff	handle	manche	mango	impugnatura	manubrium, -ī n.
Mischkammer	mixing chamber	chambre de mélange	cámara de mezcla	camera di miscelazione	camera mixtōria
Schweiß-einsatz	head tube	lance	cuello	lancia	tubus praecipuus
Düse	nozzle	buse	boquilla	ugello	*spargibulum, -ī n.
Druckminderer	pressure regulator	régulateur de pression	regulador de presión	regolatore della pressione	rēgulāmentum pressiōnis
Flaschen-druckmesser	cylinder pressure	manomètre de bouteille	manómetro del tanque	manometro della pressione	*manometrum

	gauge			della bombola	lagoenae
Arbeitsdruckmesser	working pressure gauge	manomètre de chalumeau	manómetro del soplete	manometro della pressione di esercizio	manometrum pressōnis operātōriae
Stellschraube	adjusting screw	vis de réglage	tornillo de ajuste	vite di regolazione	cochlea *rēgulātōria
Absperrventil	check valve	clapet de non-retour	válvula de freno	valvola di ritegno	valvula retentōria
Lötlampe	blowtorch	lampe à souder	soplete	lampada per saldare	lampas solidātōria
Punktbrenner	pencil point tip	brûleur flamme crayon	boquilla para concentrar la llama	ugello	*ustrum flammae stilifōrmis
Einweg-Brennstoffflasche	disposable gas cylinder	cartouche jetable	bombona de gas desechable	bombola del gas	lagoena gāsica ūnīus viae
Farbbrenner-vorsatz	flame spreader	brûleur bec plat	boquilla para expandir la llama	diffusore della fiamma	*ustrum *expānsīvum
Autogenschweißen	oxyacetylene welding	soudage acétylénique	equipo del soldadura autógena	saldatura ossiacetilenica	solidātiō *autogenica
Flaschenwagen	trolley	chariot	carretilla	carello portabombole	carrulus lagoenārius
Druckminderer	pressure regulator	régulateur de pression	regulador de presión	regolatore della pressione	rēgulāmentum pressōrium
Sauerstoff-Flasche	oxygen cylinder	bouteille d'oxygène	tanque de oxigeno	bombola d'ossigeno	lagoena oxygenica
Acetylen-Flasche	acetylene cylinder	bouteille d'acétylène	tanque de acetileno	bombola d'acetilene	lagoena *acetylēnica
Schlauch	hose	tuyau	manguera	tubo flessibile	uter, utris m.
Schweißbrenner	welding torch	chalumeau	soplete	cannello per saldare	*solidāculum, -ī n.
p.320 Anstreichen und Lackieren	painting upkeep	peinture d'entretien	mantenimiento de pinturas	verniciatura: manutenzione	pictūra fabrīlis et laccātiō
Spritzpistole	spray gun	pistolet à peinture	pistola de pintar	pistola per verniciatura a spruzzo	*pistolium sparsōrium
Düse	nozzle	buse à fluide	boquilla	ugello	*spargibulum, -ī n.
Lufteinlass	air cap	bouchon d'air	anillo de ajuste	cappello dell'aria	ānellus āeris intrantis
Druckabzug	trigger	gâchette	gatillo	grilletto	manucla, -ae f.
Entlüftung	vent hole	orifice d'aération	orificio de entrada de aire	sfiatatoio	ōrificium āeris intrantis
Behälter	container	godet	depósito de pintura	serbatoio	conceptāculum, -ī n.
Einstellventil für die Strahlbreite	spreader adjustment screw	soupape de réglage du fluide	válvula de ajuste	vite di regolazione dello spruzzo	valvula scaturīginis rēgulandae

Einstellventil für die Flüssigkeitsmenge	fluid adjustment screw	réglage du pointeau du fluide	regulador de fluidos	vite di regolazione del fluido	valvula volūminis rēgulandī
Luftventil	air valve	soupape à air	válvula de aire	valvola dell'aria	valvula āeris
Pistolengriff	gun handle	corps du pistolet	empuñadura de pistola	impugnatura della pistola	manubrium *pistolī
Druckluftanschluss	air hose connection	raccord d'arrivée d'air	conexión para la manguera de aire	attacco del tubo dell'aria	connexiō tubī āeris
Malerpinsel	paint brush	pinceau	brocha	pennello	pēniculus pictōrius
Griff	handle	manche	mango	manico	manubrium
Stock	ferrule	virole	collar	ghiera	collāre, -is n.
Borsten	bristles	soies	cerdas	setole	sētae, -ārum f.pl.
Schaber	scraper	grattoir	rasqueta	raschietto	scalprum, -ī n.
Rändelbolzen	knurled bolt	bouton moleté	tornillo	bullone zigrinato	gomphus scūtellātus
Blatt	blade	lame	hoja	lama	lāmina, -ae f.
Griff	handle	manche	mango	manico	manubrium, -ī n.
Heißluftpistole	heat gun	décapeur thermique	pistola de calor	pistola per sverniciatura	*pistolium *thermicum
Düse	nozzle	buse	boquilla	ugello	*spargibulum, -ī n.
Schalter	switch	interrupteur	interruptor	interruttore	*mūtāmen, -inis n. *diacoptron, -ī n.
Kompressor	air compressor	compresseur d'air	compresor de aire	compressore d'aria	*compressāculum, -ī n. <small>Full text of "Studi di etimologia italiana e romanza: Osservazioni ... Da <i>*pressaculum</i>, formato da p?<i>*essare</i>, sdoppiata la sibilante. 461. Prescia 'fretta'; fr.pre[^]e 'impatience, hâte'. Da <i>^pressa</i> pure da <i>pressare</i> = fr. ...</small>
Motor	motor	moteur	motor	motore	*mōtrum, -ī n.
Pumpe	pump	pompe	bomba	pompa	antlia, -ae f.
Griff	handle	poignée	empuñadura	impugnatura	manubrium, -ī n.
Druckluftbehälter	air tank	réservoir	tanque de aire	serbatoio d'aria	conceptāculum āeris compressī
Rad	wheel	roue	rueda	ruota	rota, -ae f.
Wanne	tray	bac	bandeja de pintura	vaschetta	vāsculum pictūrāle
Farbroller	paint roller	rouleau	rodillo de pintor	rullo	scytala pictōria
Griff	handle	poignée	mango	manico	manubrium, -ī n.
Walzenbefestigung	roller frame	armature	armazón	supporto del rullo	margō scytalae
Walze	roller sleeve	manchon	rodillo	rullo	scytala, -ae f.
p.321 Leitern und Stehleitern	ladders and stepladders	échelles et escabeaux	escaleras de mano	scale e scale a libretto	scālae et scālae stativae
Dachbodenleiter	loft ladder	échelle escamotable	escalera extensible de	scala retrattile	scāla retractilis

			buhardilla		
Anlege-Leiter	straight ladder	échelle droite	escalera común	scala a pioli	scāla appositicius
Einhänge-leiter	hook ladder	échelle à crochets	escalera de gancho	scala a pioli con ganci	scāla uncīnāta
Ausziehleiter	extension ladder	échelle coulissante	escalera extensible	scala estensibile	scāla extēnsibilis
Sprosse	rung	échelon	travesaño	piolo	gradus scālae
Holm	side rail	montant	larguero	staggio	tignum laterāle
Seilzug	pulley	poulie	polea	puleggia	trochlea,-ae f.; +polegia, -ae f.
Sprossen-arretierung	locking device	dispositif de blocage	dispositivo de bloqueo	dispositivo di blocco	sera dispositīva
Seil	hoisting rope	corde du tirage	cuerda de elevación	fune di sollevamento	fūnis elevātiōnis
rutschfester Fuß	anti-slip foot	patin antidérapant	zapata antideslizante	pieдино snodato antiscivolo	pediculus nōn-lāpsilis
Leitergerüst	ladder scaffold	échelle d'échafaudage	andamio sobre ruedas	trabattello	tabulātum scālātum
Strickleiter	rope ladder	échelle de corde	escalera de cuerda	biscaglina	scāla spartea; scāla fūnālis
Landwirtschaftliche Nutzleiter	fruit-picking ladder	échelle fruitière	escalera de recolección de fruta	scala per agricoltura	scāla frūctūs carpēdī
Mehrzweck-leiter	multi-purpose ladder	échelle transformable	escalera multiuso	scala multiuso	scāla *multiūsualis
Rollenleiter	rolling ladder	échelle roulante	escalera rodante	scala a palchetto con ruote	scāla *subrotāta
Stehleiter	stepladder	escabeau	escalera de tijera	scala a libretto	scāla statīva
Podest	top	plateau	parte superior	cima	podium, -ī n.
Arbeitsbrett	tool shelf	tablette porte-outil	bandeja para herramientas	mensola portautensili	mēnsula ütēnsilium
Ausklapp-arretierung	brace	entretoise	tirante	braccio distanziatore	bracchium distantīvum
Stufe	step	marche	peldaño	gradino	gradus scālae
Tritthocker	step tool	tabouret-escabeau	taburete escalera	scala sgabello	scābellum scālātum
Trittleiter	platform ladder	marchepied	escalera de plataforma	scala con piattaforma	scāla *podiaca
Sicherheits-holm	safety rail	garde-corps	barandilla	barra d'appoggio	tignum sēcūritātis
Gestell	frame	piètement	armazón	montante	compāges, -is f.
Gummi-stöpsel	rubber stopper	embout	zapata de goma	pieдино di gomma	calceus cummeus
Ablage	shelf	tablette	entropaño	ripiano	tabella dēpositōria
Plattform	platform	plate-forme	plataforma	piattaforma	podium, -ī n.
Tritt	step	marche	peldaño	gradino	gradus scālae

**Haec vocabula auturgica
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA HORTULANA

DE RAPTORE HOTZENLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completæ adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistolam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM
Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
QUINQUAGESIMAM SEPTIMAM**

EL 57

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

**d. Solis, d.22. m. Sept. a.2013,
i.e. die suffragiorum Conventus Foederalis Germaniae**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>